



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 3. Rex colloquii rationem exponens, illique initium datum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

S. III.

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.*Rex colloquii rationem exponens, illi-
que initium datum.*

Cum hæretici rursus instarent, ut etiam sibi, quandoquidem indulgeretur, quatenus Rex colloquio præesset, ejus rei fides scripto fieret, hinc Regina petiit, ut non amplius sibi id scripto dari vellent, sed ejus promisso fiderent: insuper Theologorum plures Reginam rogabant, ne Protestantium Ministri colloquio interessent, aut si decrevisset eos admittere, atque audire, saltem Rex huic disputationi præfens non adesset, cum periculum foret, ne tenellæ ejus aures pestifero perverfæ doctrinæ veneno inficerentur, aliunde vero ipsi, utpote damnatæ opinionis jam pridem convicti, nequaquam audiendi essent: verum ii nullum aliud a Regina responsum retulere, quam nihil, nisi ex consilii sententia in ea re actum iri: itaque Rex ipsemet huic colloquio unacum tota Aula sua interfuit, comitantibus illum Regina, Navarræ Rege, Aurelianensi Duce Regis Franciæ Fratrem, Margarita ejus Sorore, Regii Sanguinis Principibus, & sacratoris Senatus Patribus præter jam supra memoratos Cardinales, atque Prælatos. Sedebat Rex intra septa

Sæcul XVI
A C 1561.

clathrata, quæ pro eo, illiusque Au-
licis in Religiosarum Virginum cœnobio
construebantur: Doctores vero Theo-
logi humiliora subsellia pro illis præpa-
rata ab Episcoporum tergo occupabant:
porro Protestantes Ministri eundem lo-
cum tenere, ac eodem, quo Catholi-
corum Theologi, ordine disponi pete-
bant: verum repulsam tulerunt, atque
id unice eis permissum, ut extra am-
bitum stantes sua argumenta proponere
pollent.

Cunctis itaque confidentibus Rex ad
id instructus dixit: „scitis, qua de causa
„huc convocati sitis, nimirum ut tur-
„bis, quæ passim in meo Regno exo-
„riuntur, salutare remedium ex vestra
„sententia quæretur; proinde curate,
„ut præcisa omni offensionis causa ea,
„quæ emendatione egent, corrigantur,
„& publicæ tranquillitati, quam optime
„fieri poterit, legitima ratione consu-
„latur: quam in rem peto, ut non prius
„discedatis, quam omnem operam de-
„deritis, ut tandem aliquando compo-
„sitis dissidiis mutua inter populos mihi
„subditos concordia, ac sincera amici-
„tia sarciatur: quod si feceritis, non
„committam, ut patrociniū, quo a
„majoribus meis olim protecti estis, a
„me, meisve Magistratibus in posterum
„possitis requirere.

§. IV.